

promptum eretur, sine exceptione ullius hominis  
 viventis & ullius temporis mortem antecedentis se  
 nolle mortem peccatoris, sed ejus conversionem ac vi-  
 tam expetere juramento interposito testatur. Unde  
 & *Varenius* in Theologico Breviario pag. 189. ad qvæ-  
 fitionem: An Deus in ipso damnationis instanti optet  
 vel desideret hominis impii mortem vel damnatio-  
 nem? negativè respondet, cum Deus cap. XXXIII.  
 Ezechielis v. II. non solum clarissimè pronunciet, sed  
 etiam per vitam suam juret, se nolle mortem impii,  
 & qvidem non modo impii pœnitentiam aucturi, sed  
 etiam impii in ipso improbitatis actu finaliter morien-  
 tis. Qvamobrem haud absurdum est, ex oraculo hoc  
 Prophetico concludere, qvod induratis usque ad mor-  
 tem gratiæ fores pateant; absurdum potius est con-  
 tra perspicuam oraculi hujus veritatem illis omnem  
 pœnitentiæ & gratiæ spem præcludere, qvorum con-  
 versionem & vitam benevolia Dei voluntas expedit &  
 serio intendit. Non obstat nostræ sententiæ, qvod  
*Autor disputationis de induratorum statu* objicit, De-  
 um non absolute nolle mortem peccatoris, ideoqve  
 multos in impœnitentia decedere. Nam ex eo in-  
 ferri nequit, qvod illis, qui in impœnitentia decedunt,  
 omnis Dei gratia, dum adhuc viverent, denegata fue-  
 rit. Nec obstat, qvod ex quadam *D. Korthholii* dis-  
 putatione nondum mihi visa objicitur, sermonem esse  
 Prophetæ non de morte corporali, sed spirituali &  
 æterna, à qva justus sit exemptus & cui impœnitens  
 necessario & inevitabiliter sit subiectus, qvod de natu-  
 rali morte dici nequeat, cum multi impœnitentes na-  
 turali morte moriantur. Non enim video, qvod in-  
 de contra nostram sententiam exsculpî possit? Scio,  
 qvod